

qui in scripturarum laudibus effe-  
runtur. Auspicatur vero ab *Adamo*  
et in *Tito* Pauli discipulo de-  
finit, habeturque typis excusum  
in *Opp. Isidori* optima haecenus  
editione *Jac. du Breul, Paris.*  
1601. p. 531. *Colon.* 1617. p.  
359. f. Alterum Opusculum inci-  
pit ab epistola *Isidori* ad *Orosium*:  
*Domino sancto ac reverentissimo*  
*fratri borasio ysydorus. Quedam*  
*notissima nomina legis et ewange-*  
*liorum que sub allegoria imagina-*  
*rie obteguntur &c.* *Orosius* hic non  
est *Paulus* ille, qui *Sec. V.* contra  
*Paganos* scripsit. Libellus ipse  
hunc minio titulum praefert: *In-*  
*cipit desloracio eiusdem* (*Isidori*  
scil.) *in nominatissimis nominibus*  
*legis et ewangeliorum ad eundem,*  
(nempe *Orosium*) multumque rur-  
sus ab editis differt, et ideo in-  
spici ab eo mereretur, qui de no-  
va *Isidori* publicatione cogitaret.  
Ita, ubi *du Breulius* legit: *Bar-*  
*rabas, qui Judaeis dimittitur, sig-*  
*nificat Antichristum, quem illi*  
*errantes meruerunt suscipere pro*  
*Christo, noster certe melius: me-*  
*rebuntur.* In *Calce* Libelli adtex-  
ta est brevis institutio de ratione  
et numero *Jejuniorum* ecclesiasti-  
corum sumpta, ut videtur, ex *Isi-*  
*dori L. I. de Offic. eccl.* cujus *Edi-*  
*tioni* supracit. *Traetatus* noster in-  
sertus est ad p. 515. titulo *Alle-*  
*goriae quaedam sacrae Scripturae.*

exaratus, rubricisque ornatus est  
Sacrorum *Bibliorum* juxta antiquio-  
rem divisionem *Pars altera*, a  
Libris videlicet *Salomonis* exor-  
sa, quibus praefixa est *Hieronymi*  
Praefatio: *Jungat epistola quos*  
*jungit sacerdocium &c.* Habent  
ejusmodi *Praefationes* et *Ecclesia-*  
*stes*, et *Prophetae*; *Machabaei* ve-  
ro duplicem *Rabani* ad *Ludovi-*  
*cum* Regem, et *Geroldum* archi-  
diaconum. Libris *N. T.* pariter,  
ut solent, *Argumenta* praemittun-  
tur. *Actus Apostolorum* sequuntur  
*Paulinas Epistolas*. Succedunt *Ca-*  
*tholicae Jacobi, Petri, Johannis,*  
*Judae. Job. I. c. 5.* *Testimonium*  
coeleste praeit. *Apocalypsis* in-  
structa est Praefatione *Gilberti Pic-*  
*tav.* quae incipit: *Omnes qui pie*  
*uolunt uiuere &c.* et habetur etiam  
in *Bibliis glossatis.*

XXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 652  
VIII. Folior. 158. 8 totus auro,  
vel hodie nitidissimo, scriptus,  
Titulis vero miniatis et Literis ini-  
tiorum vario colore speciosis est  
*Psalterium* illud *Davidicum*, quod  
*Carolus M. Hadriano* Papae I. qui  
sedem ab a. 772. ad a. 795. te-  
nuit, donum vere augustum misit,  
manu *Dagulfi* cujusdam exaratum,  
quodque deinceps ab *Hadriano*  
obvenit *Willebado* primo *Bre-*  
*mensium* Episcopo, adseruatum  
inter ejus Ecclesiae *Κειμηλια* *Secu-*  
*lis* integris octo, et quod excur-  
rit, dum in Bibliothecam Caes.  
Palatinam e privata *Leopoldi* I.  
Imp. transfret. Ita quidem *Lambe-*  
*cus*

XXVII. VIII. 30.

759 Codex membraneus lat. Sec.  
XIII. Folior. 275. 8. per duas  
columnas minute sed nitidissime